



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1712**

§. I. Querelæ Lectoris. Responsio Authoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

Jubileo illis concessio, sermonem faciens de earum Confessarijs, dicit, quod *debeant à locorum Ordinarijs ad id deputari*; non ergo in earum libertate est illos eligere: nil autem simile Jubileum dicit de Regularibus, sed unice dicitur quod possint sua peccata confiteri approbato ab Ordinario: ergo cum Bulla Jubilei non limitet Regularem ut confiteatur peccata sua alteri Regulari, aut sine sui Prælati Regularis licentia, non est cur nos limitemus. Quin si Cruciatæ & Jubileum conferantur, apparebit ex utraque, quod Regularis non possit vi Cruciatæ absolvi à quolibet approbato loci in quo absolvitur; nam Cruciatæ expresse ait Regulares quoad absolutionem subijci Prælati Regularibus: nil autem tale dicit Jubilei universalis Bulla. Hanc sententiam sustinent citati, quibus addo P. Tamburin. tom. 2. pag. 37. Felicem tom. 1. n. 1443. & alios. Hæc doctrina tenet, nisi certa sit Superiorum voluntas pro hac aut illa Religione in oppositum, quatenus huic privilegio olim renuntiavit, nec tacite consentit.

N. Demum accedit, quod cum nullum inter ardua Regularis disciplinæ præcepta sit adeo contra hominis inclinationem ac confessio; & quidem cum hoc aut illo determinato homine, cui sæpe vel antipathia naturalis, vel concepta ex motivo aliquo aversio resistit. & cum in aliquibus Religionibus, ne quidem pro reservatis absolvendis Confessor aliquis designetur; vel si designatus est, sæpe ignoratur, sed toties quoties Superior vel per se, vel per alium conveniendus: & cum inter ipsos Regulares frequentissimum sit, ut qui modò est Confessarius, sit deinde Superior, atque adeo à timido & verecundo poenitente, instante Dæmonum suggestionem, & propriæ bonæ æstimationis jacturâ, putetur in Superiorem eligendus: & cum hoc distet inter sæculares, & Religiosos, ut ait S. Bernardus, quod Religiosi tardius cadunt, & citius surgunt, atque adeo suis passionibus, & tentationibus obnoxij quoque sint ac sæculares; ob hæc, & alia gravissima motiva à paucis scita, à paucioribus ponderata, convenientissimum fuit, ut Jubileum non excluderet Regulares, sed absolvi à reservatis possent à quolibet eâ in Diocesi, ubi vivit, approbato, ut tandem miscellus ille Religiosus, verecundiæ culpabili ductus virus suum deponere posset, absque eo timore, quem diffidentia augeat; ideo P. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 29. sect. 1. ponderat, quod quamvis Prælati possint alios casus reservare præter undecim, qui pro more reservantur; habent enim jurisdictionem ordinariam in suos sub-

Tom. III.

ditos, non tamen possunt pro libito, quos voluerint, reservare: & P. Moya tom. 1. in 3. d. 8. qu. 11. n. 17. 18. 19. scitè monet, quod Superiores faciles sint in concedendâ facultate pro reservatis. De reliquo (addo ego) periculum erit, ne novas laxas interpretationes introducant, ut accedit in Cruciatæ interpretatione. Vid. P. Mendo, P. Nogueira d. 20. P. Palao, & alios passim.

## S E C T I O VIII.

Regula, &amp; Illationes.

## §. I.

Quæstio Lectoris. Responsio Authoris.

## S U M M A R I U M.

Cur tam dilatata materiam limitarim? n. 180.

Minus scitur, si principia ignorantur, ibid.

Quid præstiterim? n. 181.

**A**bs dubio, mi Benevole Lector, si ex numero eorum es, quorum brevis summa totus Theologicæ sapientiæ thesaurus, indignaberis, quod cum in more positum sit in tam dilatata, & spinosa Confessionis materia, dissectas in dubia, & responsiones proponere quæstiones; nunc agendo de Confessarijs, eorumque approbatione, nunc de Regularibus, eorumque privilegijs; modò de Cruciatâ, modò de reservatis, atque in alias, & alias subdividere: ego neglectis hic divisionibus, & subdivisionibus, ad hoc unum me limitarim, nempe quæ approbatio sit necessaria in absolvente sæculares, quæ in absolvente Regulares. Fateor ita esse, me rem paucis conclusisse: & quod summè mihi arduum fuit, materiam adeo dilatata ad sua principia scholastico more reduxisse: quibus cognitis, facillimæ sunt illationes, & pauca dubia trita Parcemia est, si charta cadit, tota scientia vadit. Quid prodest mentem dubiolis, & responsionculis torquere? Quid de papyro in chartam, & de chartâ in papyrum, ait aliud adagium, ut familiare est vulgari idiomate Summulis, Typographos fatigare, nisi hæc ad sua principia, unde emanant, reducantur? Scietur hoc aut illud, at non scientur alia; immò nec scietur hoc vel illud, si ejus principium ignoretur. Qui ergo scire cupit, fontem petat, ubi aqua purior; non rivulos.

Ego post transcriptas Urbani VIII. Clem. N. X. Innocentij XII. Bullas, nec non Tridentini, & Cruciatæ textum, solâ duplici conclusionem totam hanc de absolutionis activæ, & pas-



& passivæ valore materiam comprehendere volui: siquidem iudico ad eas omnia reduci, cum iisdem rationibus, quibus duplex nostra conclusio incedit, solvantur omnia, quæ ex laxis interpretationibus, ex privilegijs, ex Cruciata derivantur, ut fuscè ostendo. Præterea ne animo cadant, qui hæcenus invalidè absoluti sunt; & ne in peius ruant, qui laxioribus novis interpretationibus aditum parent; & ut Confessor sciat quæ ejus absolutio, quantum est ex parte sui, sit aut non sit valida, remedium dedi, quo præteritis confessionibus mederi possimus, & præservativum præscripti pro futuris, certa trahendo indicia, quod Ecclesia certam tali Sacerdoti conferet jurisdictionem. Inferui his plura alia curiosa, & necessaria circa Papæ definitiones & leges, circa Papæ infallibilitatem, nulli umquam etsi Legato à latere communicabilem, circa Legatorum, Episcoporum, & Prælatorum Regularium activam, & passivam absolvendi facultatem &c. Si hæc, mi Lector, præstiti, plura scies pauca legendo; si non præstiti, dolebo.

## §. II.

## Illationes.

## SUMMARIUM.

*Nostorum principiorum utilitas, n. 182.*  
*Omnis confessio facta cum non approbato à Diocesano loci, in quo quis absolvit, est nulla. Similiter si excedat, n. 183.*  
*Omnis confessio eludens jurisdictionem Episcopi, aut sui Prælati est nulla, n. 184.*  
*Regulares olim privilegijs magnis dotati, n. 185.*  
*Plurima sustulit Tridentinum, ibid.*  
*A Cruciata nullum jus indultum, n. 186.*  
*Nil favet Regularibus quoad absolutionem, ibid.*  
*Regulares peccant, si sine licentiâ sui Prælati absolvant seculares, n. 187.*  
*Approbatio Episcopi necessaria ad validam, Prælati ad licitam secularium absolutionem, ibid.*  
*Nulla absolutio sub opinione incertò probabili est valida, n. 188.*  
*Omnis sub errore communi, sub non derogatâ consuetudine, sub titulo colorato, sub opinione certò probabili est valida, ibid.*  
*Quomodo judicium reflexum de validâ absolutione sit certum, etsi directum sit de eâ tantum certò probabile? n. 189.*  
*Nemo absolvere licetè potest, nisi sit certus de suâ jurisdictione, n. 190.*  
*Prima ab Innoc. XI. damnata de tutiori in Sacramentorum valore sequendâ, n. 191.*  
*Dico, quod tò tutior sit pro unice tutâ, n. 192.*

*Nemo ex certò tutis tenetur in Sacramentis ad tutiorem. Inductio, ibid.*

*Opinio negans fatendas circumstantias, non spectat ad valorem. Doctores, n. 193.*

*Cur peccata dubia sint de valore confessionis confitenda, non ita circumstantia pure aggravantes, ibid.*

*Attritio ex motivo amoris Dei, seu contrita perfectâ, etsi spectet ad valorem, non est necessaria ad confessionem, sed satis attritio supernaturalis, n. 194.*

*Doctores, ibid.*

*Cur confessio sacrilega non sit Sacramentum, si communio sacrilega? n. 195.*

*S. Thom. ait, quod in foro confessionis creditur homini, & pro se, & contra se, ibid.*

*Nulla opinio obligans ad aliquid, quod ab alio præcepto vetatur, est tuta, n. 196.*

*Honorius III. vetuit, ne in Calice plus aquæ, quam vini misceretur pro consecratione, ibid.*

UT oculis attrices principiorum utilitatem; & quod longè expeditius sit tractare principia, quam ad quaestiones etiam per modum Dialogi divertere, eccetibi plures ex jactis principijs illationes, ut tuo Marte alias colligas.

Prima est: Mordicus tenendum, omnem confessionem, quæ fit cum Confessore non approbato à Diocesano loci in quo quis absolvit; vel si cum approbato à Diocesano, non tamen Confessor se continet intra approbationis limites, esse omnino nullam. Ex hoc principio Clemens X. descendit ad plures damnandas, ejus in Bullâ legendas.

Secunda est, omnem futuram opinionem, N. cujus interpretatio Tridentini finem, & Pontificum definitiones eludat, & proportionem servatâ Superiorum in Religiosis subjectionem exterminat, rejiciendam, & habendam ut damnabilem, & absolutiones sub dictis opinionibus futuras nullas.

Tertia est, quod licet olim Regularibus N. ex Bonif. VIII. in Extravag. Super cathedram de sepultura, & à Clem. V. in Concilio Viennensi in Clementinâ, Dudum de sepultura, concessum fuerit privilegium, ut Regulares, dummodo se præsentarent Episcopo, etsi nolenti dare licentiam, haberentur tamquam idonei, ut seculares audirent: immo Benedictus XI. hoc ita ampliaverat, ut ne Regulariter, sed satis erat, ut eorum Regularium Prælati, quomodocumque Episcopo significarent, se aliquos ex suis Religiosis designasse pro audiendis secularium confessionibus: quod tamen Benedicti privilegium deinde à Clemente V. revocatum fuit, consuetudine